



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Vrbanvs IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus exprimantur: & sic non obstante quòd illis, A  
 contra quos huiusmodi testes despoſuerint, eorum nomina non fuerint publicata, ad cognitionem  
 iudicis instruendam, adhibeatur plena fides testium depositionibus eorundem. Vt ergo commissi  
 vobis officij debitum, vtilius & liberius exequamini, committendi citationes, testium examinatio-  
 nes, cum de huiusmodi crimine, ac ipsius circumstantijs duxeritis inquirendum, & denuntiationes  
 sententiarum, quas in quoslibet hac de causa tuleritis, accersendi quoque prout expedierit peritos  
 quoslibet, vt vobis inferendis huiusmodi sententijs prabeant consilium opportunum, ac vobis assi-  
 stant. Conuocandi etiam clerum & populum ciuitatum, castorum, aliorumque locorum prout di-  
 cto negotio fidei videritis expedire. Insuper in dicto negotio, de plano, & abique iudiciorum, & ad-  
 uocatorum strepitu; ac contra illos quos in prædictis Lombardia, & Marchia lanuensi in hæreseos  
 crimine commississe constiterit, licet ad alias partes se transferendos duxerint, procedendi. Nec non  
 faciendi obseruari inuolabiliter omnes constitutiones Apostolicas, & leges imperiales per quondam  
 Fredericum olim Romanorum Imperatorem, tunc in deuotione Romanę Ecclesię persistentem Pa-  
 duę promulgatas aduersus huiusmodi pestem hæreticam prauitatis. Ne non elargiendi viginti vel qua-  
 draginta dierum indulgentiam, quoties opportunum videritis, omnibus vere penitentibus & con-  
 fessis, qui ad uestram conuocationem propter hoc faciendam accesserint, plena sit vobis & singulis  
 uestrum presentium tenore facultas. Vobis autem pro huiusmodi negotio laborantibus, illam pecca-  
 torum veniam indulgemus, quę succurrentibus terrę sanctę, in generali concilio est concessa: socijs  
 vero uestri ordinis, & notarijs uestris, qui una uobiscum in prosecutione huiusmodi negotij labora-  
 bunt, & omnibus qui personaliter vobis assisterint in eodem negotio, & qui ad impugnandum hære-  
 ticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, uobis ex animo præstiterint consilium, auxilium, uel  
 fauorem, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius authorita-  
 te confisi, tres annos de iniunctis sibi penitentijs relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione huiusmo-  
 di negotij forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, & ore confessi fuerint,  
 plenam veniam indulgemus. Compescendi præterea monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam,  
 appellacione postposita, prædicatores quatuordecim a prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus  
 C  
 pertinere, quorum interest tantum charitatiua subsidia simpliciter perere, ac indulgentiam si quam  
 forte habent, exponere, liberam vobis & singulis uestrum concedimus auctoritate presentium facul-  
 tatem. Ceterum si forte, quod non credimus, aliqui cuiuscunque conditionis, huic negotio vobis com-  
 misso se opponere, seu illud præsumperint aliquatenus impedire, vt non possit procedi liberę in eod-  
 dem: immo nisi requisiti illud feuerint: & iuxta officium & posse suum, singuli inuenint studiose, con-  
 tra eos tanquam contra hæreticorum fautores, & defensores, secundum sanctiones canonicas, seu ead-  
 dem auctoritate, intrepide procedatis: nos enim nihilominus ad reprimendam tam superbam, & per-  
 niciosam audaciam, & omnimode confundendam, in illos gladium Ecclesiasticę potestatis acriter  
 exeremus: & reges & principes, aliosque Christi fideles, siue pro terrę sanctę succursu, siue alias pro  
 Christi seruitio crucis caractere insignitos, necnon & ceteros catholicos, prout expedire viderimus,  
 inuocabimus contra eos: vt cælum & terra aduersus detestabilem temeritatem ipsorum pariter mo-  
 ueantur. Denique vt circa præmissa, plene vobis & singulis uestrum coercionis expedita, & inuio-  
 labilis adsit auctoritas; volumus, vt ea omnia viriliter exequamini, inuocato si opus fuerit auxilio bra-  
 chij secularis: contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellacione postposita compescendo: non  
 obstantibus aliquibus priuilegijs, vel indulgentijs, quibuscunque personis, cuiuscunque conditionis,  
 dignitatis, vel gradus, religionis, vel ordinis, & præsertim Cisterciensium, Prædicatorum, Mino-  
 rum, seu Eremitarum: siue communitatibus, vel vniuersitatibus ciuitatum & locorum, specialiter, vel  
 generaliter, sub quacunque verborum expressione, vel forma, à memorata sede concessis, vel in poste-  
 rum concedendis: etiam si dicatur in illis, quòd eis per aliquas litteras, totum de verbo ad verbum  
 priuilegijs & indulgentijs, quibus ab ipsa sede concessum est aliquibus, seu concedatur deinceps, quòd  
 excommunicari, vel ipsorum terrę supponi non possint Ecclesiastico interdicto: aut quòd Prædicato-  
 rum, vel aliorum quorumlibet ordinum fratres, & executiones negotiorum, aut ad citationes quorum-  
 libet, siue denuntiationes sententiarum, excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, auctoritate  
 litterarum Apostolicarum minime cogi possint, nisi de ipsorum ordinibus & priuilegijs, vel indulgen-  
 tijs, eis super hoc à sede concessis, eadem habeatur in eisdem litteris mentio specialis: cum ex huius-  
 modi, vel alijs priuilegijs, nullum vobis in tantę pietatis negotio velimus obstaculum interponi, &  
 constitutione de duabus dietis edita in concilio generali. Datum Viterbij xiiij. Kalen. Aprilis. Ponti-  
 ficatus nostri anno primo.

V R B A N V S IIII.

*Superiores religionum, in locis, vbi per eos exercetur Inquisitionis officium, assignent Inquisitoribus  
 hæreticorum socios prudentes & idoneos: item vbi fuerint ab Inquisitoribus requisiti, alios fratres ad-  
 iungant, vt negocium Inquisitionis melius valeat promoueri.*

V R B A-

# Officio Sanctissime Inquisitionis.

43



**V**RBANVS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filijs prouinciali, ac ceteris conuentualibus, Prioribus, & subprioribus, eorumque vicarijs ordinis Prædicatorum, Lombardia, ac Marchia Ianuensis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Domini 1262.

**N**E Catholicæ fidei negotium, dilectis filijs fratribus vestri ordinis in Lombardia, & Marchia Ianuensi, infra designatos eis limites, Sedis Apostolicæ auctoritate commissum, & in posterum committendum, ex personarum defectu contingant,

Ex Archiuijo Inquisitionis Bononiensi.

(quod absit) quomodolibet impediri: volumus, & præsentium vobis auctoritate, districtè præcipiendo mandamus, quatenus tu fili Prior prouincialis, singulis ex prædictis fratribus, singulos socios, fratres videlicet ipsius ordinis prouidos, & discretos, ac idem negotio congruentes, de quibus hi, quibus assignati fuerint, merito valeant consolari, sublata difficultate qualibet, assignare procures, & nihilominus tam tu, quàm vos alij Priores, subpriores conuentuales, ac vicarij, quoties ab eisdem, fratribus, quibus dictum est commissum negotium, ac committeretur in posterum, fueritis requisiti, & dicto negotio, fuerit opportunum, de alijs etiam fratribus eiusdem ordinis, præter illos, qui eis in socios deputati fuerint, cum omni promptitudine prouidere curetis: ita quòd præfatum negotium nullam ex negligentia vestra dilationem capiat, sed potius ex diligentia continuum suscipiat incrementum. Datum apud Urbem veterem vii, Kalen. Nouemb. Pontificatus nostri Anno secundo.

## CLEMENS PAPA IIII.

*Præcipit, vt Inquisitores compellant seculares magistratus, quarumlibet ciuitatum, & locorum per excommunicationem in personas, & interdictum in terras, monitione præmissa, vt faciant conscribi in suis capitularibus, & inuolabiliter custodiri constitutiones Innocentij iij. non obstante aliqua Indulgentia Sedis Apostolicæ, quod excommunicari nequeant, vel eorum terræ interdicti.*

**C**LEMENS Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis filiis fratribus Prædicatorum, & Minorum ordinum, inquisitoribus hæreticæ prauitatis per Italiam auctoritate Sedis Apostolicæ deputatis, & in posterum deputandis, Salutem & Apostolicam benedictionem.

Edita anno Domini 1265.

**A**D extirpanda de medio populi Christiani hæreticæ prauitatis zizania, quæ abundantius solito succreuerunt, superseminante illa licentius his diebus homine inimico, tanto studiosius, iuxta commissam nobis sollicitudinem insudare proponimus, quanto perniciosius negligere eadem in necem catholici seminis peruagari. Vt autem aduersus huiusmodi nequitie operarios surgant, stentque firmiter Ecclesiæ filij, ac orthodoxæ fidei zelatores, Constitutiones quædam felicitis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster ad extirpationem hæreticæ pestis edidit, & tam ipse, quàm felicitis memoriæ Alexander Papa prædecessor noster, dilectis filiis Potestatibus siue Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consilijs, & Communitatibus Ciuitatum Castorum, aliorumque locorum per Italiam constitutis mandarunt, vt constitutiones ipsas, in suis conscribi Capitularibus facerent, & exacta diligentia obseruarent: vnde prædictis Potestatibus siue Rectoribus, Consulibus, Capitaneis, Antianis, Consilijs, & Communitatibus, damus nostris litteris in mandatis, vt ipsi & singuli eorum constitutiones easdem, cum quibusdam adiectionibus, modificationibus, & declarationibus per dictum Alexandrum prædecessorem nostrum, & etiam per nos factas, conscribi in suis capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, secundum eas contra omnem hæresim se aduersus hanc Sanctam Ecclesiam extollentem, sine aliqua omissione procedant. Quo circa discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti Potestates siue Rectores, Consules, Capitanei, Antiani, Consilia & communitates, mandatum nostrum super hoc neglexerint adimplere, vos & singuli vestrum, illos, & singulos eorum, infra designatos vobis limites, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras eorum, monitione præmissa appellatione remota cogatis. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, vel in posterum indulgeri contingat, quòd personæ excommunicari, ac ciuitates, castra, terræ, & loca ipsorum interdicti non possint, siue qualibet alia indulgentia sedis eiusdem, per quam effectus præsentium impediri valeat vel differri, & de qua cuiusque toto tenore, de verbo ad verbum specialem, & expressam in nostris litteris oporteat fieri mentionem: & constitutione de duabus dictis edita in Concilio generali. Dat. Perusij xv. Kalen. Febr. Pontificatus nostri Anno primo.

Ex Archiuijo cõuentu S. Francisci de Assisio.

† Hæc constitutiones incipiunt Ad extirpanda, & supra sunt in serice.

## I D E M.

*Minister prouincialis de consilio discretorum fratrum sui ordinis Inquisitores idoneos eligit, quibus præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, vt Inquisitionis officium in locis sibi commissis viriliter exercent contra hæreticos, credentes fautores, defensores, & receptatores eorum iuxta formam in alijs litteris expressam. Quòd si ex aliqua causa aliquis Inquisitor fuerit amonendus, eo amoto de consilio discretorum alium substituatur cum pari auctoritate & potestate: idem faciat Inquisitore mortuo.*

Hoc